

ordinem gratiæ, major fortasse licentia data est dæmoni ad tentandum, ut virtus gratiæ magis innotescat: et fortasse in natura lapsa liberius permittitur dæmon homines tentare in pœnam originalis culpæ, et ideo quoties Deus specialiter prohibet illum ne vehementius tentet, beneficium gratiæ est per Christum collatæ. Nihilominus non videtur hoc speciale beneficium in omnibus tentationibus necessarium. Quia non est cur cogitemus vel dicamus dæmonem, in singulis momentis et occasionibus, inducturum esse hominem in gravissimam tentationem, nisi a Deo speciali gratia impediatur. Nam imprimis Deus non inducit dæmonem positive ad tentandum, quia hoc non est consentaneum bonitati divinæ, propter quod intentator malorum dicitur; unde etiam non inducit ut tentet hoc vel illo modo, sed tantum permittit. Deinde verisimile est in hac permissione esse aliquam universalem limitationem ex generali providentia, ex qua non permittitur dæmon facere suo arbitrio quidquid potest, alias magna ex parte posset ordinem universi perturbare; ergo etiam ex hac generali providentia potest sæpe evenire ut non graviter tentet, absque speciali beneficio gratiæ. Imo talis esse potest dispositio hominis, et occasio operandi occurrens, ut non valeat dæmon, etiamsi velit, graviter tentare hominem in illa materia, supposita sufficienti advertentia rationis, quia nimirum tale obiectum cum his circumstantiis non potest graviter excitare hominem.

26. *Imo nec omnis a dæmone est gravis.* — Ac denique accidere potest ut ipsemet dæmon sua libertate et prava intentione temperet aliquando, et abstineat a gravi tentatione, ut hominem eo gravius peccare faciat, quo liberius ceciderit, vel certe ut permittendo nunc aliquam victoriam, in elationem vel aliam graviorem culpam inducat, vel ut hominem securum reddat, et ita vel facilius postea illum decipiat, vel in statu alicujus peccati quietus permaneat. Qua ratione dixit Gregorius, 24 Moral., cap. 7, alias 12: *Dæmon eos pulsare negligit, quos quieto jure possidere sentit.* Quamvis ergo hæc moderatio tentationis sæpissime sit speciale beneficium gratiæ, semperque esse possit, ideoque semper postulandum sit, nihilominus in aliquibus actibus et occasionibus potest evenire ex generali providentia qua Deus relinquit dæmonem pro suo arbitrio et malitia operari, et prævidet illum non nisi tali modo tentaturum, et ideo non esse hominem in tali occasione superaturum,

Relinquitur ergo ut nullum gratiæ auxilium sit semper et in singulis tentationibus necessarium ad tentationi resistendum, quia, præter dictos modos, nullus alius excogitatus est, nec facile fingi potest.

27. *Ad rationes tactas in num. 9, 10 et 11.* — *Prima solutio.* — *Secunda.* — Fundamentum contrariæ sententiæ auctoritatibus Scripturæ, Conciliorum et Patrum præcipue nititur, quæ eosdem sensus habent quos cap. 17 et 18 dedimus similibus sentiis, quibus ad bene operandum gratia requiritur. Primo ergo dicendum est frequentissime loqui de victoria Christiana (ut sic dicam), seu ad vitam æternam comparandam fructuosa. Quod quidem legenti singula testimonia facile constabit; tum quia disputant contra Pelagium, qui hanc etiam victoriam tentationum soli libero arbitrio tribuebat; tum etiam quia eisdem locis et eodem modo de bona operatione et de victoria tentationis loquuntur; tum denique quia sæpe requirunt auxilium fidei, imo et charitatis. Unde est illud Augustini lib. de Perfect. justitiæ, c. 2: *Potest homo, si Deus adjuvet, cui dicitur: Adjutor meus esto, ne derelinquas me; non utique ad corporalia bona capessenda, et mala cavenda, sed ad gerendam perficiendamque justitiam, propter quod dicitur: Et ne nos inducas in tentationem.* Nomine autem justitiæ intelligit Augustinus illam quæ est apud Deum, et in fide fundatur, ut sequentia verba indicant: *Adjuvatur autem, si invocatur, si credit, etc.,* et in dicto c. 18 hoc latius ostendimus. Secundo, dicimus plures ex illis locutionibus Patrum esse indefinitas, ex quibus non licet colligere universalem sermonem ita rigorosum, ut ad omnes et singulas ejuscumque gradus tentationes vincendas extendatur; satis enim est si plures earum et frequentius sine gratia vinci non possint. Sic Cyrillus, dicto lib. 9 in Joan., c. 43, cum dixisset impossibile esse, nisi gratia spiritus munitos, perturbationes animi superare, statim addit: *Neque acres diaboli laqueos evitare,* ubi addendo illam particulam *acres*, satis indicavit non loqui de omnibus animi perturbationibus, aut tentationibus, etiam levibus.

28. *Solutio proxima promovetur.* — Quin potius addo ulterius, etiamsi interdum videantur simpliciter loqui de universis tentationibus, recte intelligi morali modo de tentationibus alicujus gravitatis et momenti, quia quæ leves sunt, quasi nihil moraliter reputantur, vel quia etiam in his vincendis, si homo suæ libertati et humanæ diligentiae permittatur,

frequentius est negligens, et labitur potius quam resistat, ideoque moralis sermo moraliter intellectus verus esse potest, etiamsi interdum non desit potestas in voluntate ad aliquam tentationem vincendam. Unde quod interdum etiam dicunt Patres, præsertim Innocentius et Cælestinus in dictis epistolis, indigere nos singulis temporibus et momentis auxilio gratiæ, ne tentatione vincamur, eodem morali modo intelligi potest, quia frequentissime in ea necessitate versamur. Quamvis etiam dici possit in singulis momentis nos indigere hoc auxilio, non quia in singulis ita tentemur ut sine auxilio non possimus stare, sed quia semper ita tentari possumus, et ideo semper nobis necessarium est paratum habere Dei auxilium. Sicque dixit Gregor. in Ps. 3 Pœnit., in fine: *Quia sancta anima omni tempore intelligit sibi imminere pericula, etiam momento temporis non potest esse secunda, et ideo Deum precatur ut nec ad horam ab illa discedat.*

29. *Solutio tertia.* — Addi præterea potest sæpe dicere Patres non posse nos victoriam tentationis obtinere nostris viribus, quia non valemus ita constanter resistere, quin si tentatio aliquantulum duret, cadamus, vel graviter vel leviter, pro materiæ qualitate. Et ideo licet aliquantulum resistamus, non potest appellari victoria; sicut qui cum hoste congregatur, licet semel aut iterum illum percutiat, si tandem ab illo occidatur, non victor sed victus absolute censetur. Ita ergo dicitur homo non posse tentationes vincere sine gratia, quia non potest sine peccato in tentationibus persistere. Et ita videntur loqui sæpe Patres impugnantes Pelagium, qui aiebat liberum arbitrium ita posse vincere tentationes, ut nunquam peccet, ut videre licet in Hieronymo, dial. 3 contr. Pelagian.; et Augustino, lib. 1 de Gratia Christi, c. 26 et sequentibus. Et hoc videtur expressius extendere ad leviores tentationes Prosper contra Collator., c. 35, ubi ait etiam ad leviores tentationes vincendas esse gratiam necessariam: nisi forte leviores vocet, non quæ absolute leves sunt, sed quæ comparatione facta ad tentationem Jobi, de qua ibi tractabat, tales sunt, quamvis per se et absolute spectatæ graves esse possint. Tandem vero dicimus etiam ejuscumque tentationis victoriam, licet interdum sine propria gratia obtineatur, referendam esse in Deum, saltem ut auctorem, et gubernatorem, et provisorem naturæ; tum quia si victoria illa fit per actum bonum, ille principaliter est ab auctore na-

turæ, ut supra diximus; tum etiam quia ex Dei providentia provenit, ut tentatio in tali occasione occurrat, in qua simul possit homo et sufficienter advertere, et illi resistere priusquam augeatur. Et juxta hunc etiam sensum videntur aliquando, licet rarius, loqui Patres, præsertim Hieronymus, et Paulus Orosius contra Pelagianos.

30. *Ad rationes alias summatim tactas in numero 12.* — Et hinc facile respondetur ad rationes sumptas ex oratione, gratiarum actione, et ex arrogantia, seu vana gloria cavenda. Nam hæc omnia eandem rationem habent in victoria unius tentationis, quæ in effectione unius boni operis, et ideo applicanda sunt quæ diximus capite præcedenti, nec ea repetere necesse est. Ad aliam vero rationem, sumptam ab incommodis de victoria gravium tentationum vel omnium, negatur utraque sequela, quia illa difficultas, licet non reddat effectum physice impossibilem, reddit moraliter, ut in sequentibus capitulis fuse explicabimus. Ad ultimam vero rationem, quod semper est gratia non gravius tentari, jam dictum est hanc non esse propriam gratiam auxiliantem, de qua loquimur, et ideo, non obstante illo favore, verum esse talem tentationem sic occurrentem vinci per libertatem, resistendo sine auxilio gratiæ. Et præterea dictum est illum favorem non semper esse beneficium gratiæ, sed interdum ex generali providentia cum præscientia Dei provenire. Quod optime quadrat loco Ambrosii. Et similiter, cum Augustinus quidquid non peccamus Deo tribuit, in hac amplitudine loquitur de beneficio Dei, sive sit beneficium propriæ gratiæ, sive generalis providentiæ. Cujus signum est, quia non solum fidelibus, sed etiam infidelibus, dicit actu conferri hoc beneficium, ut patet ex dicta hom. 23. Et ita intelligenda sunt quæ ex illa recitavimus, neque enim aliter sensum commodum habere posse videntur.

## CAPUT XXIV.

UTRUM AD VINCENDAS SINGULAS GRAVES TENTATIONES CONTRA LEGEM NATURALEM IN STATU NATURÆ LAPSE, NECESSARIUM SIT SPECIALE GRATIÆ AUXILIUM.

1. *Semipelagianorum hæresis.* — *Dissident Catholicici.* — Hic tractanda est opinio extreme contraria alteri, quam capite præcedenti impugnavimus: illa enim aiebat nullam omnino tentationem, etiam in materia morali et naturali, posse vinci sine gratia; hæc vero as-



serit nullam esse adeo gravem in tali materia, quæ per se, et sigillatim spectata, non possit vinci per liberum arbitrium absque auxilio gratiæ in statu lapsæ naturæ; de hac enim præcipue agimus, nam de integra dicemus in capite sequenti. De statu autem in puris naturalibus fere eadem est ratio, ut sæpe dictum est. Hanc ergo sententiam tenuerunt Semipelagiani, ut constat ex Cassiano, coll. 13, c. 14, ubi de tentationibus Job specialiter loquitur: et eandem sequuntur aliqui Catholici, diverso tamen modo, nam Semipelagiani victoriam etiam perfectam talis tentationis, et fructuosam ad vitam æternam, dicebant obtineri posse per solum arbitrium sine auxilio gratiæ, in quo merito damnantur cum Pelagianis: at vero Catholici solum dicunt posse liberum arbitrium resistere huic tentationi, ita ut non peccet, etiamsi in hoc nihil mereatur, absque auxilio gratiæ. Et ita tenet hanc sententiam Ruard. art. 7 cont. Luth., § *Tractantur*, vers. *Hæc confirmantur*, et Staplet., l. 2 de Justif., c. 4 et 13. Tribuitur etiam Molina in concordia, q. 14, art. 4, disp. 19. Sed ille forsitan non discrepat a communi sententia, ut infra videbimus. Solet etiam allegari D. Thom. 1. 2, q. 109, art. 4 et 8, quia in priori dicit posse hominem implere mandata legis naturalis quoad substantiam actus sine gratia, et quia in posteriori dicit posse hominem sine gratia vitare singula peccata contra legem naturæ. Sed immerito allegatur D. Thomas, quia in priori loco dicit indefinite posse hominem præcepta naturalia aliquando servare; in posteriori vero, licet dicat singula præcepta posse impleri sine gratia, non tamen dicit in omni occasione et omni tempore, nec considerat ibi vim tentationis, sed solam qualitatem præcepti et substantiam actus, et eodem modo loquuntur Thomistæ his locis. Magis videtur favere D. Thom. 1. 2, q. 77, art. 7, et q. 80, art. 3, quatenus docet nullam tentationem concupiscentiæ aut dæmonis tollere libertatem sufficientem ad non consentiendum. Sed aliud est loqui de libertate, aliud de absoluta potestate ad resistendum tentationi, ut infra videbimus. Indicat eandem sententiam Richardus, 1. 2, dist. 28, art. 2, quæst. 2 et 3; re tamen vera in quæst. 2 solum tractat de evitando peccato per se, et præcise, non spectata vi tentationis, de qua tractat in quæst. 3, et solum indefinite concludit posse hominem sine gratia vincere aliquam tentationem, ut patet ex corpore quæstionis, et ex fine solutionis.

2. Magis favet huic opinioni Ægidius in 2,

dist. 28, quæst. 1, art. 4, post dub. 1 litterale ad 1, ubi sic inquit: *Quantumcumque delectatio sensibilium nobis connaturalis inclinatur ad illicita, non obstante hujusmodi inclinatione, si ex toto conatu volumus illa agere, possumus recte illa facere, sed non omnia, nec diu possumus consistere tali conatu sine gratia nos adjuvante.* Guillelmus etiam de Rubione in eadem dist., § *Quantum ad tertium*, non solum ait posse hominem resistere cuicumque tentationi contra præceptum negativum sine gratia assistente, sed etiam sine prima causa generaliter influente, quia ad resistendum tali tentationi satis est non agere, quia non agendo servatur præceptum negativum, ad non agendum autem neque concursus generalis necessarius est. Si quis autem velit positive resistere, volendo non agere contra tale præceptum, dicit tunc quidem necessarium esse generalem concursum, non tamen gratiæ assistentiam. Unde idem consequenter sentit de quacumque tentatione contra præceptum naturale affirmativum, ob eandem rationem. Multi etiam Theologi in illa dist. 28, dixerunt posse hominem per solas vires liberi arbitrii servare omnia præcepta naturalia, et vitare omnia peccata illis contraria, diu ac perseveranter, seu collective, ut aiunt, qui profecto merito possunt pro hac sententia citari; tum quia id fieri non potest sine victoria plurium tentationum gravium, quæ in diuturno tempore deesse non possunt; tum etiam quia difficilius est longo tempore inter ordinarias tentationes sine peccato vivere, quam uni gravi tentationi minori tempore resistere. Quantum vero isti auctores decipiantur postea videbimus. Alii etiam Theologi, qui simpliciter dicunt posse hominem per liberum arbitrium servare singula præcepta naturalia, et vitare omnia peccata illis contraria divisim sumpta, licet non conjunctim, solent pro hac sententia allegari, sed de illis infra dicam. Solet denique pro hac sententia citari Anselmus, libr. de Liber. arbit., cap. 5 et 6, cujus mentem postea expendemus.

3. *Fundatur sententia.* — Ratio hujus sententiæ est, quia, posita quacumque tentatione gravi cum advertentia rationis, homo consentiendo peccat mortaliter, si materia etiam gravis sit; ergo potest et physice et moraliter ex vi liberi arbitrii illi tentationi non consentire saltem non peccando, quod nunc solum intendimus. Probatum consequentia, quia illa potestas in libertate, necessaria ad peccandum graviter, includitur. Unde Aug., l. 3 de Libero

arbitrio, et de Spirit. et Litter., c. 3: *Illud (inquit) est in nostra potestate, quod, si volumus, facimus.*

4. Ad rationem hanc responderi solet posse nos quidem, quoties tentamur, non peccare, quia gratia Dei præsto adest; et id possumus simpliciter, quod per amicos, ut aiunt, possumus. Hæc vero responsio impugnatur, quia gratia non habet necessariam connexionem cum natura hominis secundum se spectata, posset enim condi in pura natura; tunc ergo non haberet paratam gratiam, quia illi non debetur; et supponimus nihil ei dari, nisi quod est debitum, et nihilominus in illo statu haberet libertatem ad peccandum etiam graviter, non obstante quacumque tentatione; ergo etiam tunc haberet libertatem ad non peccandum; ergo etiam haberet potestatem resistendi; at tunc non haberet illam ex gratia, quia tunc non esset illi præparata; ergo ex vi solius libertatis. Atque hæc ratio eandem vim nunc habet in homine lapsa, si supponamus eum habere invincibilem ignorantiam gratiæ, et per illam nondum esse præventum, nam ille homo, si tentetur, potest simpliciter non peccare, et tamen neque actu habet auxilium gratiæ, nec potest aliquid facere, quo illud obtineat, quia non potest se præparare ad primam gratiam auxiliantem, ut nunc suppono; ergo illa potestas est ex sola libertate.

5. *Confirmatur primo proxima impugnatio.* — *Confirmatur secundo.* — Et potest hoc confirmari ex Paulo ad Rom. 1, dicente gentiles fuisse inexcusabiles, etc., et reddit rationem solum, *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*; ergo perfectum iudicium rationis naturalis cum libertate voluntatis reddit hominem inexcusabilem, quoties in materia naturali, non obstante quacumque tentatione, labitur, ut ibi exponit Chrysost., hom. 3, et docet Iren., lib. 4 contra Hæres., c. 9, et sentit Aug., Concion. 25 in Ps. 118. Ergo illud etiam sufficit ad potestatem resistendi, nam si hanc homo non haberet, profecto esset excusabilis. Confirmatur secundo, quia tentatio non infert voluntati necessitatem quoad exercitium; ergo simpliciter potest suspendere actum; hoc autem sufficit ad vitandam tentationem, saltem quando est contra præceptum negativum. Et quamvis necessarium esset elicere aliquem actum voluntatis, sufficere naturalis, et juxta probabilem opinionem sufficere indifferens, vel ad summum honestus naturaliter, seu moraliter; sed hic actus potest haberi sine gratia, ut diximus: ergo.

6. *Confirmatur tertio.* — Præterea potest confirmari ex Augustino de Spirit. et Litter., cap. 14 et 17, dicente legem, sive naturalem, sive scriptam, positam sine spiritu gratiæ, esse legem peccati et mortis, quia obligat et non dat vires, neque etiam aufert potestatem peccandi: imo efficitur occasio multiplicandi peccata, quia arbitrium, posita lege, per se sufficit ad peccandum, etiamsi gratia careat, ut aliis locis Augustinus tradit, præsertim de Gratia et libero arbitrio, cap. 2, et contra duas epist. Pelagian., capite 5, Epistola 95, et 13 de Civ., cap. 5. Quæ omnia procedunt etiam eo tempore quo legis observatio est gravis et difficilis, propter tentationes vel alia impedimenta occurrentia: tum quia tentatio non aufert legis obligationem; tum etiam quia lex non est occasio peccandi, vel virtus peccati, ut loquitur Paulus, quando facile servari potest; tunc enim voluntas sine speciali gratia ad illam observandam sufficit: ergo maxime tempore tentationis fit lex mortis, si spiritus gratiæ desit. Ergo tunc etiam est in homine absoluta potestas ad servandam legem et non peccandum, et consequenter etiam ad vincendam tentationem, quia nisi hanc potestatem habeat, nec potestatem peccandi habere posset. Accedit quod homo lapsus, jam justificatus, etiamsi non habeat specialem gratiæ motionem, potest per solum liberum arbitrium vincere similem tentationem, quia in illo jam est sanata natura per habitualem gratiam: ergo idem poterit absque illa gratia. Probatum consequentia, quia sola habitualis gratia, si actu non operetur et moveat, non aufert nec minuit difficultatem quæ in vincenda tentatione intervenire potest.

7. *Confirmatur quarto.* — Quarto, confirmatur hæc sententia vulgari argumento, quia homo sæpe, propter honorem vel aliam concupiscentiam humanam, libera voluntate et sine gratia, eligit difficiliora quam sit interdum gravis tentatio, et ita illam difficultatem vincit; cur ergo non ita poterit vincere gravem tentationem contra præceptum naturale. Simile argumentum est, quod hæreticus mortem sustinet, vel pro suo errore, vel etiam pro aliqua veritate Catholica, quam retinet; unde sicut primum facit sine gratia, ita et secundum: cur ergo non poterit idem facere Catholicus pro eadem Catholica veritate? Quod si id faciat, vincet profecto tentationem gravem sine gratia. Ultimo, afferri potest argumentum Rubionis supra, quia ad vincendam tentationem gravem, sæpe non est necessarium aliquid agere, sed solum non agere, ut quando



tentatio est contra præceptum negativum : ergo tunc neque generalis concursus necessarius est : ergo multo minus erit necessarium speciale auxilium.

8. *Vera sententia et communis.* — Nihilominus dicendum est, ad vincendas graves tentationes et unamquamque earum, necessarium esse speciale gratiæ auxilium; liberum namque arbitrium illo destitutum sine dubio succumbet. Ex antiquis Theologis, pauci sunt qui assertionem hanc distincte explicaverint, aut asseruerint, illam tamen satis indicat Bonaventura in 2, dist. 28, art. 2, quæst. 2, et ibi Aureol., quæst. unic., art. 2; Vega clarius et fusius, quæst. 12 de Justificat., et sequentibus; Soto, lib. 1 de Gratia, cap. 21, ad 2; Medina 1. 2, quæst. 10, art. 3, et quæst. 109, art. 2, ad 4; Bellarm., lib. 5 de Justificat., c. 5 et 7; Valentia., 2 part., disput. 8; et jam est inter Theologos hæc sententia communiter recepta. Ut autem distincte et sine æquivocatione probetur, advertere oportet variis modis posse nos loqui de una, seu de singulis tentationibus. Primo, de singulis in specie, ut de tentatione concupiscentiæ, avaritiæ, etc. Et in hoc sensu est conclusio longe certior, ut sentiunt auctores allegati. Quia de tentatione contra castitatem id affirmant, et colligunt ex Sap. 8 : *Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit*, juxta expositionem Augustini, qui vult ibi esse sermonem de castitate et de dono gratiæ, lib. de Continent., cap. 1, et epist. 89, 95 et 130. Et magis favet illud ad Roman. 7 : *Quis me liberabit a corpore mortis hujus?* Præterea de rectitudine vel peccato linguæ idem colligitur ex Jacobo, cap. 3, dicente : *Linguam nemo hominum domare potest*, ut expendit Paulus Oros., lib. de Lib. arbit., et tradit Augustinus, lib. de Nat. et Grat., cap. 15 et 16. Potest etiam dici una tentatio quasi collective, quæ in uno certamine posita est. Quomodo Prosper, contra Collator. cap. 32 et sequentibus, loquitur de tentatione Job tanquam de una, et gravissime et merito reprehendit Cassianum, quod victoriam illius tentationis nudo libero arbitrio tribueret. Sic de una tentatione loquendo, certissima est assertio, quia illa revera non est una tantum, sed collectio plurium, de qua re in capite sequenti dicturi sumus.

9. *De una atque individua tentatione proprie hic sermo est.* — Proprie igitur una tentatio dicitur, quæ determinate et in individuo una, seu continua est, et in hoc sensu intelligitur assertio, quia non solum ad integram victoriam ejus cum spirituali fructu et merito,

sed etiam ad resistantiam et carentiam lapsus, auxilium gratiæ Dei necessarium est. Quæ assertio non potest quidem ex Scriptura vel Patribus efficaciter probari, quia omnia quæ in illius confirmationem adduci possunt, in his quæ in præcedenti capite pro sententia priori allata sunt, continentur, et responsiones quas de levibus tentationibus dedimus, ad graves etiam applicari possunt. Nam Patres fere semper generatim loquuntur : unde sicut ad leves tentationes requirunt gratiam, ut cum fructu vincantur, ita etiam dici potest de gravibus : vel sicut in illis loquuntur de victoria integra quæ hominem servet non tantum ab hoc vel illo peccato, sed simpliciter a peccato, ita de gravibus dici potest, ut latius et discurrendo per aliqua testimonia prosequitur Molina in d. disp. 19, membr. 5.

10. *Suadetur primo ex 1 Cor. 10.* — Nihilominus duo possunt in prædictis testimoniis ponderari, quæ non parum favent huic sententiæ. Unum est testimonium illud Apostoli 1 ad Corinth. 10 : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis*, nam inde intulit Chrysostomus, hom. 24, *esse aliquas tentationes quæ ferri non possunt*, utique sine auxilio et ope Dei : ergo hoc maxime dictum est propter graves tentationes. Hæc posterior consequentia nota est. Prior vero, quam intulit Chrysostomus, probatur, quia si Deus pateretur seu permetteret, gravius tentaretur homo quam posset sustinere ; ergo, remota speciali providentia Dei, tentatio potest esse tam gravis ut non possit homo sua facultate sola illi resistere. Quod si quis objiciat, cum Paulus dicit *ultra id quod potestis*, non intelligere de potestate per solum liberum arbitrium, sed per gratiam adjutum, juxta doctrinam Prosperi contra Collator., cap. 35, hinc fortius sumitur argumentum. Quia si aliqua tentatio potest esse tam gravis, ut liberum arbitrium, etiam adjutum aliquo minori auxilio gratiæ, non possit illam sustinere, nisi amplius juvetur, a fortiori poterit aliqua tentatio, etiam minus gravis, superare vires liberi arbitrii gratia destituti. Aliter vero dici potest Paulum non loqui determinate de una et eadem tentatione, sed simpliciter dicere : *Non patietur vos tentari*, utique tot tentationibus et tam continuis, ut sit ultra id quod potestis. Sed licet hæc expositio probabilis sit, nihilominus magis respexisse videtur Paulus ad acerbitatem tentationis ; præmiserat enim : *Tentatio vos non apprehendat* (vel apprehendit), *nisi humana*, id est parva ; ergo huic opponit tentationem quæ

est supra id quod homo potest. Et de hac præcipue intelligi potest oratio Dominica : *Ne nos inducas in tentationem* ; per illam enim non tam petimus ut non tentemur, quam ut non destituamur gratia necessaria ut a tentatione non superemur ; et sic etiam dixit Christus : *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem*. Ex quibus locis, et ex aliis supra citatis, valde probabiliter colligitur esse aliquem modum tentationis etiam unicæ et singularis, quam sine auxilio gratiæ evadere non possumus, juxta illud Psal. 17 : *In te eripiar a tentatione*.

11. *Secundo, ex Conciliorum et Patrum locutionibus.* — Secundo, potest in locutionibus Conciliorum et Sanctorum ponderari, quod interdum sunt universales negativæ de omnibus et singulis tentationibus, ut est illud Theophylact., 1 ad Cor. 14 : *Quævis tentatio vires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis* ; ubi Œcumen. : *Quævis tentatio vos everteret, nisi Christus auxiliaretur*. Ut omittam similes locutiones Augustini, Prosperi, imo et Pontificum et Conciliorum supra relatas, quas necesse est saltem de gravioribus tentationibus intelligi. Nam si quælibet tentatio gravis posset sine gratia sola libertate vinci, profecto neque in rigore, neque moraliter tales locutiones absolutam veritatem continerent. Accedit quod Chrysostomus, dicta homil. 24, de humanis tentationibus dixit, non facile posse vinci sine gratia, per humanas intelligens leviores ; ergo de gravioribus intellexit simpliciter vinci non posse absque gratia. Et Cyrillus, dicto libro nono in Joan., capite 45, de *acrioribus* tentationibus locutus est, cum dixit non posse evitari sine gratia. Denique Patres scribentes contra Pelagium ita exaggerant fragilitatem hominis lapsi ad cavenda peccata, ut interdum dicant nihil in hoc posse, alibi vero parum posse : resistere autem gravi tentationi, ita ut homo non peccet, nec nihil profecto, nec parum est. Ergo ex mente Sanctorum Patrum non est tanta fortitudo seu potestas in libero arbitrio hominis lapsi.

12. *Ratio quorundam pro eadem sententia ab incommodo.* — Rationem vero ab inconvenienti aliqui sumunt, ex eo quod si in vincendis tentationibus nullæ determinate occurrerent, quæ propter gravitatem suam per liberum arbitrium vinci non possent, nulla esset etiam multitudo tentationum, etiam confuse seu collective sumpta, quam non posset homo sua libertate effugere absque peccato, et ita posset homo longo tempore servare totam legem na-

turæ, et cavere omnia peccata illi contraria, sola libertate, sine auxilio gratiæ, quod juxta sanam doctrinam admitti nullo modo potest, ut infra videbimus. Sequela probatur, quia in tota collectione non includuntur nisi singulæ tentationes, et non occurrunt simul, sed successive, et victoria primæ tentationis non aufert libertatem circa secundam ; imo nec minuit, sed potius auget potestatem, quia primus actus bonus inclinatur ad secundum, et ideo ulterius procedi potest a secunda tentatione ad tertiam, et sic usque ad ultimam. Idem argumentum fieri potest de temporis duratione, et facile applicari potest.

13. *Est tamen invalida.* — Hæc vera ratio, licet in forma argumentandi habeat apparentem difficultatem, tamen revera est invalida, ut in Dialogis contra Pelagianos sæpe inculcat Hieronymus, et exemplis potest breviter declarari ; quia leves tentationes sigillatim vincere possumus, et tamen totum cumulum earum per longum tempus non possumus ita superare, ut non interdum leviter eadamus. Unde certum est non posse nos sine auxilio gratiæ vitare diu omnia peccata venialia collective, etiam deliberata : imo nec cum generali gratia, nisi specialior detur : et nihilominus singula per se sumpta vitare possumus, vel per libertatem in materia naturali, vel per commune adjutorium gratiæ in quacumque materia. Illa ergo consequentia in materia morali defectuosa est, quia difficultas collectionis habet diversam rationem, ut infra explicabo, et intelligi potest ex verbis Christi Domini Matt. 18 : *Necesse est ut veniant scandala*, quod verum est, licet nullum scandalum in particulari de necessitate veniat, sed libere : est ergo in illo objecto confuso quidam necessitatis modus, etiamsi in nullo singulari actu inveniatur. Et similiter dixit Luc., c. 17 : *Impossibile est ut non veniant scandala*, quod de nullo singulari dici poterat. Ita ergo in præsentem responderi posset.

14. *Instant iidem pro ratione prædicta.* — Sed instant secundo, quia impossibilitas illius generis tantum est quædam difficultas moralis, quæ si non reperitur cum eadem impossibilitate in aliquibus actibus singularibus, nunquam dabitur in tota collectione, seu multitudine tentationum : ergo, ut sit impossibile resistere omnibus tentationibus sine gratia, oportet ut sit eodem modo impossibile resistere alicui vel aliquibus tentationibus certis ac definitis : ergo maxime hoc dicendum est de gravibus tentationibus. Assumptum de-